

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Annæi Senecæ Tvm Rhetoris Tvm Philosophi Opera Omnia

Cum Andreæ Schotti ad veterum exemplarium fidem castigatione: Cuius libros pagina sequens exhibet - Adiectus est rerum memorabilium Index locupletissimus

**Seneca, Lucius Annaeus <Rhetor>**

**Genevæ, [1646]**

Vita Senecæ

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

<urn:nbn:de:hbz:468-1-1515>



IN LIBROS  
L. ANNÆI SENECAE  
PHILOSOPHI  
PRAEFATIO,

VITAM IPSIVS ACCV:  
ratissimè complexa.

N T E R tot tantosque viros,  
qui in omni scientiarum disciplinarumque genere excelluerunt, quorum quidem scripta  
ad nos perutenerunt, nescio annus extiterit, cuius è re nostra  
totiusque generis humani magis fuerit, monumenta ingenij salua sartaque per-  
durasse, quam L. Annæi Senecæ. Nam cùm inter omnes disciplinas philosophia primum sibi  
locum iure vindicet: ea autem vera & germana  
philosophia, quæ nos quam optimos, & quantum  
humana patitur imbecillitas, beatissimæ il-

## VITA L. ANNÆI SENCAE.

lius naturæ, cuius ipsa munus est, simillimos efficit: in tanto vero sectarum numero, nulla sit, quæ id amplius luculentiusque præstet, quæque ad nostrum dogma proprius accedat Stoicorum schola, nos ea scripta, quæ tam præclaram & egregiam doctrinam continent, tanto pluris estimare par est, quanto maiorem & huberiorem fructum ab iis, quam ad ullis aliis percipere, aut sperare possumus. Atque utinam tanta nobis id genus scriptorum copia suppeteret, ut quæ præferre ac lectari debemus, diu deliberandum esset. Verum cum iam præter Epictetica pauca, sola hæc Senecæ nobis reliqua sint, gratissimo illo delectu frustrati sumus. Et tamen, habenda gratia vetustati, quæ cum Zenonem Carneadem, Cleantem, Brutum, Fabianum, cæteraque illa Stoicæ scholæ decorata interciperet, ac perderet, in optimum scriptorem minus aliquando iniuria fuit. Nec enim optimum vel cum bona Græcorum gratia dicere verebor hunc, de quo Plutarchus ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ ἀνδρῶν ΑΦΕΩΣ ΤΗΝ ΥΔΥΡΑ, nunquam Latinis ingeniosis nimis indulgens, si Petrarchæ credimus, sic iudicauit in iis quæ ad mores pertinent neminem ex Græcis extitisse, quem cum hoc conferre posset. Ex Latinis etiam, qui illi minimi tribuunt, facile in eius scriptis copiosum ingenium, multam rerum cognitionem, egregiamque viriorum insectationem laudant, pluresque & claras sententias, multaque morum gratia legenda agnoscunt. Quorum admiratione ducti sancti patres, Tertullianus, Lactantius, Hieronymus, Augustinus, cum propter rerum quæ in his tractan-

rur

## VITA L. ANNÆI SENECAE

tur pondus, sententiarumque quibus explicitantur  
grauitatem, tum etiam propter conuenientiam,  
coniunctionemque doctrinæ cum sua, pars Chri-  
stianum esse, alij à religione Christiana non ab-  
horrere censuerunt. Nec verò grande illud & ex-  
cellens ingenium, quod verissimo elogio prin-  
ceps omnis eruditioñis à principe & ipso eius-  
dem laudis audiuit, vna gloriæ materia contineri  
potuit: sed per omnes disciplinas versatus, omne  
fere studiorum tractauit genus. Quæ tamen eius  
supersunt præter naturales quæstiones, pauculos  
versus, & *Στρατηγική*, omnia ad mores per-  
tinent, reliqua interciderunt. Et ne quidem quæ-  
cunque ab eo de moribus vulgata sunt, iniuriam  
temporis effugere potuerunt. Nam Quintilianus  
dialogos scripsisse prodidit: quos ad moralem  
Philosophiam spectasse indicio est ille *De super-  
stitione*, cuius Diomedes Grammaticus suæ artis  
libro primo meminit. In quo quām libere, quam-  
que fortiter & tantum non Christianè contra-  
portenta illa religionum quæ iam diu inuale-  
rant, differuerit, præter insignia illius dialogi fra-  
gmenta, quæ decimo & undecimo capitil libri  
sexti de Ciuitate Dei B. Augustinus inseruit, Ter-  
tullianus in apologetico probat, cuius verba, quia  
etiam nunc in editione Pamelij magnæ lectionis,  
exactæque diligentia Theologi corrupta extant,  
subiiciam, ut in libro P. Pithœi summæ erudio-  
nis, doctrinæ morumque sanctitatis viri legun-  
tur. O impia, inquit, voces, ô sacrilega conuicia, in-  
frendite, inspumate, iidem etsi qui Senecam aliquan-

VITA L. ANNÆI SENECAE.

pluribus & amatoribus de vestra religione perorantem non reprehendistis. Sed quæ ipsum fortitorum nomine ad tolerantiam doloris & mortis adhortantia atque animantia scripsisse testatur Tertullianus, in dialogi formam composita fuisse illa, de remediis fortitorum ad Gallionem quæ existant, ex ipsis proculdubio fortuitis excerpta, sat is indicant. quorum nollem titulum in Romana editione, & hac ipsa quæ Romanam in L. Seneca ad vnguem expressit, muratum, & inscribantum Excerpta. Sic enim titulus potius concipi debuit: EXCERPTA EX FORTVITIS AD GALLIONEM. Sed ad rem. Librorum etiam Senecæ De officiis idem ille Grammaticus Diomedes, De matrimonio B. Hieronimus primo aduersus Iouinianum, itemque Exhortationum Laetantius frequentissimè in diuinarum institutionum opere meminerunt. Quin & ipse Séneca epist c<sup>viii</sup>. totam Philosophiam moralem uno se opere complexum scribit. Locum, quia non usquequaque in hac editione sanus est, ut in meis libris habetur transcribam. Id de quo queris, inquit, ex his est que scire tantu eo ut scias, pertinet. Sed nihilominus quia pertinaciter properas, nec vis expectare libros, quos cum maxime ordino, continentur totam moralem Philosophie partem, testatim expediam, illud prius, &c. Hi sunt fortasse quos idem Laetantius lib. v i. libro moralis Philosophiae vocat. De prouidentia etiam composuisse quædam, ex his quæ habentur statim initio tractatus, Cum mundus prouidentia regatur, quare multa mala bonis viris accidunt:

## VITA L. ANNÆI SENECAE.

dunt: & *De immatura morte*, ex eiusdem Lactan-  
tij primo libro diuinarum institutionum clara-  
rum est, sed an opere separato, non liquet. Quæ  
omnia interiisse magno Philosophiae damno,  
sed grauiore vetustatis inuidia, nemo est qui  
non sentiat. De natura verò multa & præclara  
vulgasse constat. Ipse cap. IIII. lib. I v. Natu-  
ralium quæstionum, iuuenem adhuc se de ter-  
ræ motu librum edidisse testis est Cassiodorus  
in Astronomiæ compendio libri Senecæ *De for-  
ma mundi* mentionem facit, in quo viderur  
*formæ mundi rotundæ rationes* reddidisse.  
Item & Boetius in collectione de Geometria,  
si non potius ea collectio excerpta ex Cassiodo-  
ro censenda sit, quam Germanum Boetij opus.  
Alia præterea vulgasse ad naturalem Philoso-  
phiam spectantia, quorum ne nomen quidem  
exstat, argumento illa esse possunt, quæ Plinius  
cap. LIII. lib. IX. *De ætate murænarum* Vedij  
Pollionis, & lib. XXXVI. *de marmoribus & lapi-  
dibus* se à Seneca sumptissime fatetur. Ad hæc com-  
mentationem etiam *De situ Indiae*, in qua eius vr-  
bes, amnes, populosque numerat: & *De situ, &  
sacris Ægyptiorum* composuit. Vtriusque auctorita-  
tate Seruus vtitur in lib. VI. & IX. *Aeneid.* alterius  
idem Plinius cap. XXVII. lib. VI. Præter phi-  
losophicos libros multa alia tum prosa oratione,  
tum numeris composuit. Sub Caio enim præci-  
puè caulis agendis foroque vacauit, & maxime,  
ut ait Suetonius, placuit. immo exitio penè ei  
fuit eloquentia, parùmque abfuit quin à Caio

## VITA L. ANNÆI SENCAE.

ob hoc solum occideretur, quod apud eum causam aliquam disertissime egisset. Subditque Dio lib. l. ix. Τέτον μὴ οὐκ χρειανται καλεσθε αφίκε, γινωνται πιν ἐν εχρητο πρεπότας, ὃν φέδον τε εχοντος, καὶ εἰς μακρα πελευτίσσοι. Quo tempore declamationes, & præfationes, quas non uno loco laudat Quintilianus, emisisse eum verisimile est. Quædam etiam de arte dicendi scripsisse videatur. Nam quod idem Quintilianus cap. ii. lib. ix. profert à Seneca eleganter dictum *Iurare parvorum non esse, sed testium*, ex quibusdam eloquentiæ præceptionibus desumptum probabile est. Nerone vero rerum potiente, quamvis maioribus imperij negotiis occupatus nullas amplius causas egerit, nihilominus tamen exercenda & publicandæ facundiæ occasionem principis non exercitata in dicendo adolescentia præbuit: quandoquidem laudationem Claudijs, quam in eius fuiere pronuntiavit, & orationes, quas ad Prætorianos, Senatumque habuit, à Seneca compositas Tacitus refert. Hanc verò ad Senatum optimam imperandi rationem ita ex sapientiæ præceptis exprimentem, ὥστε, inquit Dio, καὶ εἰς αἴγυρον σύλλευ ἐγκαθίλει αἱ, καὶ εἰς ταῦτας τῷ αἰεφατνον αἴχαις αὐτονότεροι, φυγεῖσινται. καὶ οἱ μὲν εἰς τούτον, οἱ δὲ καὶ συγχρεοῦσι πάντας εἰς αἴγυρον αὐτονότεροι. Pleraque alias etiam quibus clementiam suam Nero obstringebat, Seneca testificando quam honesta præciperet, inquit idem ille Tacitus, voce principis vulgauit: quarum tamen ne vestigium quidem permanuit.

Nam

## VITA L. ANNÆI SENECAE.

Nam quæ apud Tacitum Senecæ ad Neronem habetur, non magis eius est, quam ad illam responsio Neronis. Quin etiam si quæ maioris momenti ad Senatum mittebantur epistolæ, eas ipse dictauit. & in vulgum emissas & publicatas, ex eo appareat, quod Quintilianus cap. v. lib. VIII. Senecam laudat in scripto, quod Nero ad Senatum misit occisa matre cum se periclitatum videri vellet. Addit & Xiphilinus, *τι θεωρία των πάθων*, & fortassis Græcus homo in literis Latinis patum exercitatus, consolationes ad Marciam & Polybium eo nomine intellexit. Epistolarum etiam libros edidit familiares, ex quibus plerasque ad Cæsonium Maximum fuisse non male quis colliget ex Epigrammate L. I. V. lib. VII. Martialis, quod ad Ouidium tale est,

*Facundi Seneca potens amicus,*

*Caro proximus, aut prior Sereno,*

*Hic est Maximus ille, quem frequenter*

*Felix littera pagina salutat.*

Cujus Maximi idem Seneca memini Epistola ad Lucilium LXXXVII. Ego, inquit, & Maximus mens' biduum iam beatissimum agimus. Hanc etiam Maximum Cæsonium in exilium Senecam fuisse secutum idem Martialis Epigrammate XLIII. eiusdem libri innuere videtur ad Ouidium Cæsonij in exilio comitem, quod ei tanquam Pisonianæ coniurations concio inductum à Neronе fuerat. Illud enim Epigramma sic concludit.

## VITAL. ANNÆI SENECAE

*Audiet hoc præsens venteraq; turba fuisse  
Illite, Seneca quod fuit ille suo.*

Sunt qui putent historias composuisse, illudque  
quod vulgo L. Annæo Floro adscribitur historiæ  
Romanæ breuiarium, huic tribuunt, sdb leuissi-  
mo argumento. Quamuis enim diuisio illa æta-  
tum imperij Romani, cuius auctorem Senecam  
Laetantius ait, in illo Flori libello reperiatur, po-  
tuit tamen in aliquo suorum operum Philosophicorum hæc dixisse vnde Florus desumperit.  
Isidorus etiam Originum primo contraëtis Tiro-  
nis, Persannij, Philargij, & Aquile Mæcenatis liber-  
ti notis alias addidisse, opùsque in quinque nota-  
rum millia effecisse prodit: cuiusmodi in Regia,  
& præclari Senatoris Claudij Puteani, aliorumque  
bibliothecis exemplaria cuiusdam libri extant L.  
Senecæ adscripti, cum hac epigraphæ, *L. Annai Se-  
necæ liber notarum numero quinque millia.* Quæ poë-  
mata conposuerit non constat. tantum apud Ta-  
citum legitur obiectum ei apud Neronem carmina  
crebrius factitare, postquam Neroniamor eorum  
evenisset. Et certè paucula eius que supersunt Epi-  
grammata, alia etiam composuisse ostendunt.  
Tragœdiae quæsolæ ex Latinis superant, aliquan-  
do ei tributæ sunt. Verum Sidonius Apollinaris  
contra est, qui alium Senecam tragicum à Nero-  
nis præceptore facit. Et certè Octavia nostri  
Senecæ esse non potest. Manifestum faciunt mul-  
ta: sed ea præcipue, quæ Agripinæ umbra loqui-  
tur,

*Veniet dies, tempusque quo reddat suis*

*Ani.*

## VITA L. ANNÆI SENECAE.

Animam nocentem sceleribus, ingulum hostibus  
Desertus & destrunctus, & cunctis egens:  
& nutrix Poppæa:

Cæsari iuncta es tuo

Tæda ingali, quem tuus cepit decor,

Et culpa Seneca:

quæ de se seu vera vel falsa non scripsisset Seneca:  
illa vero quæ de Neronis exitio vaticinatur Agrip-  
pina, viuo illo non nisi ab Apollione scribi potue-  
runt. Præterea Terentianus Maurus cùm de versu  
pastorali tractans, sribit,

In tragicis iuxere choris hunc sepe diserti

Annæus Seneca, & Pomponius ante Secundus.

satis ostendit Senecam tragœdiarum scriptorem,  
nostro Senecæ, quem Pomponio Secundo poëtæ  
Tragico æqualem fuisse à Tacito didicimus, & tate  
posteriorē vixisse. Huic tamé Quintilianus cap.  
ii. lib. ix. disertè tribuit Medeam tragœdiam in-  
ter eas editam, quæ L. Senecæ iuniori adscribūtur,  
hemistichiūmque quod in ea legitur, huius nostri  
Senecæ esse dicit. Interrogamus inquit, aut inuidiis  
gratia. Ut Medea apud Senecam:

Quas peti terras iubes?

nec dubium est quin hunc ipsum intelligat Phi-  
losophum. Nam cum huius vnius in reliquo suo  
opere meminerit, si eo loco alium animo desi-  
gnasset, exactissimus scriptor aliquam distinc-  
tionis notam, qua cognosceretur quem intelligeret,  
adpositisset, de quo tamen acutiorum Critico-  
rum iudicium expectamus, Sanè verius est, vt  
hoc dicam, quod doctissimis viris

## VITA L. ANNÆI SENECAE.

placet, hoc tragœdiarum corpus non vnius esse ingenij. Nam Medea ceteris purior & floridior. Agamemnon, Troas, Hercules furens, sententiarum frequentiam, breuitatem, declamatoriamque argutiam captant, scholāmque magis redolent. Quid quod in solo Oedipi choro Bucolicos versus existare obseruauimus, quibus Senecam tragicum sēpe in suis choris vsum Terentianus dixit? Sunt quidem in Medea Hexametri, sed omnes vno excepto Heroici: ut difficillimum sit pronunciare cui adsignari debeant. Et hæc de libris Seneca, qui interciderunt. Qui autem vestitatis iniuriam effugerunt, quemadmodum milites ex magna & cruenta clade fugientes, incompositi ad nos peruererunt, plerique etiam mutili & imperfecti. Quid cuique desit, aptius nobis aliquando suo quoque loco ostendetur. Interim quod primum duces solent, palantes & vagos colligere, in numerosque & ordines digerere, conabimur. Fere libri ordine disponantur, vel ratione materiae, quæ in his tractatur, vel temporis, quo editi sunt & emissi. Materiae ratio in iis quæ supersunt Seneca haberi non potest, quæ nullam inter se connexitatem habet. temporis ergo quo scripti sunt, quantum vel certis probationibns, vel conjecturis assequi poterimus, rationem sequemur. Consolatio ad Marciam. prima occurrit, quæ sub Caligula scripta videtur. dico videri, quia de ea aliquid certi statui non potest. Cur tamen ita sentiam, ratio est, quod Tiberij Imperatoris in ea consolatione pietatem erga

## VITA L. ANNÆI SE NECÆ.

erga matrem, capta potius quam oblata occasione laudat, quem tamen in ceteris suis scriptis sub Claudio, vel Nerone editis liberè perstrinxit. Nec id facit ut Marciae gratiam demereatur, quam non propitiis auribus laudes eius audisse par est, cuius crudelitate patre orbata fuerit. Facit igitur ut tempori, imperantique inseruiat, cuius offensionem verebatur. Leuior fortasse est ea coniectura, sed fortioribus hac in re deficimur. Certius est quod de consolatione ad Heluiam sequitur, quam initio sui exilij, id est, anno primo imperij Claudij compositam esse, ex eius lectioне dignoscimus. Imperij vero Claudiani initio in exilium missum, Dio testis est, qui primum hoc Messalinæ in principatu malum facinus recenset, quod Iuliam Germanici filiam in exilium miserit ογκλίνωσα αὐτῇ ἀλλά τε η μοιχείας καθόπουσσα, ἐφ' ὃ λέγεται ο Σενέκας ο Ανναϊθ Ερυζη. quasi vero tantum propodium cuiquam ex animo adulterium obiicere potuerit, & non color quæsitus fuerit, quo nobilem mulierem domusque Germanici fautorē Senecam euerteret. Eiusdem temporis est fere consolatio ad Polybium, quæ in exilio scripta est initio expeditionis Britannicæ. Id cognoscere licet ex his verbis quæ in ea habentur. *Sidus hoc,* inquit de Claudio, *quod præcipitato in profundum,* & *demerso in tenebras orbi resulfit, semper luceat. Hic* Germaniam pacet, Britanniam aperiat, & patrios triumphos ducat & novos. nondum igitur aperuerat, quam tamen constat aggressum imperij sui anno secundo. Hinc etiam deprehendere li-

## VITA L. ANNÆI SENECAE.

cet mendum vel lapsum apud antiquum scriptorem in Iuvinalis Satyram quintam. *Hic* (inquit de Seneca) *sub Claudio*, quasi conscius adulteriorum *In-  
lia Germanici filia*, in Corsicam relegatus, post triennium  
revo<sup>catus</sup> est. Legendum enim, post octennium: si qui-  
dem non demum anno Claudi, cæsa Messalina, re-  
vo<sup>catus</sup> est. Epigrammata etiam quæ huic editioni  
adiuncta sunt, in exilio scripta sese ipsa clament.  
*De vita Heidelli.* Ordine procedit *Iudicium de morte Claudi*, quæ in *Sto-  
riographia bibliothecæ* *Χολωνύτα στιχ. ωστε πτώμα ἀναδαρόντων* vocavit, initio  
*Statim imperij Neronis vulgatus*: nisi fortasse ali-  
quis libros *De ira*, *In sapientem* nō cadere iniuriam, &c.,  
*Cum mūdus prouidentiae regatur*, quare multa mala bo-  
nis viris accidat, & *De tranquillitate animi*, velut huic  
interstitio temporis, quod ab eius reditu ad mor-  
tem usque Claudi fluxit, tribuere: de quibus tam-  
en, nisi quodd post Caij cædem editi sunt, nihil  
liquido affirmare ausim. *Ludum proximè se-  
quuti* sunt *De clementia* libri. hos enim de-  
cimo nono ætatis Neronis anno conscriptos au-  
tor indicat cap. ix. lib. i. eius operis: cuius anni  
memse i v. Imperium Nero suscepit. *De beata  
vita* post primum quadriennium Neronis scri-  
ptus est, cum scilicet auctoritate & dignita-  
te cunctos prætergressus, immensisque auctus  
principis liberalitate diuitiis, ab inimici, accu-  
sari cœpit, quasi contra sectæ præcepta ter mil-  
lies festertium intra quadriennium regiæ amice-  
tiæ concessisset, laxius opulentiusque habita-  
ret, laetus atque splendidius cœnaret ac vi-  
neret, quam deceret modestiam & frugali-  
tatem

## VITA L. ANNÆ I SENECAE.

tatem professum. Hæc enim, vt inquit Tacitus,  
fuerunt Suillij, & aliorum improborum homi-  
num de eo voces, à quibus Dio in historiam  
suam transtulit, in instrumento cum domestico  
*πεντακοσίς τείποδας κυδεῖς ξύλις, ἐλεφαντό-*  
*ποδας ἴους τῷ διώνιος* habuisse, quibus cœ-  
naret. Quæ sibi à maliuolis obiecta illo libro  
De beata vita diluit à cap. xvi. ad xxvii.  
docetque semper in summos viros confictum,  
quod contra præcepta viuerent. se nec sapien-  
tem esse, nec tantum de se promittere. sibi suf-  
ficere si malis, iisque à quibus criminaretur, me-  
lior euaderet. diuitias tamen bonaæ menti non  
officere, meliusque apud sapientes & bonos,  
quam apud malos & stultos habitare. Hæc  
qui non intellexerunt Senecam de se dicere,  
scèdè locum insignem cap. xxvii. illius li-  
bri, quod adhuc animaduersum non est, cor-  
ruperunt. Is ita habet, *Quare hic Philosophus*  
*laxius habitat? quare hic laetus cœnat? papulas ob-*  
*seruatis alienas, obsiti plurimis ulceribus. Hoc tale est,*  
*quale si quis pulcherrimorum corporum nauos, aut*  
*verrucas derideat, quem foeda scabies depascitur.*  
*Obiicie Platoni quod petierit pecuniam, Aristoteli*  
*quod acceperit; Democrito quod neglexerit, Epi-*  
*curo quod consumperit; mihi ipsi Alcibiadem, &*  
*Phædrum obiectate quo loci quid hæc postre-  
ma verba sibi velint, non video. Qui hæc mu-*  
*tari nolunt, aiunt à Socrate, quem paulo supe-*  
*rius loquentem finxit., dici. Sed quid Alcibia-*  
*des & Phædrus ad diuitias? Præterea à Socrate*

VITA L. ANNÆ I SENECA.

non dici vel hinc notum, quod magnificenter  
habitatio, aut sumptuosior cœna nonnunquam  
Socrati obiecta est. nec Seneca adeo vel histo-  
riæ, vel artis dicendi inscius, ut eum induceret  
Aristotelis tanto minoris, & Epicuri sexaginta  
demum annis post obductam cicutam uatiexem-  
pla referentem, de quo ne cogitare quidem po-  
ruit. Et sanè omnes ante annum clo. lo. xxxvii.  
editiones locum ita exprimunt, mihi ipsi alicubi ad  
se, & Phœdru[m] obiectate, ex qua lectione, quæ vulgo  
habetur, effecta est. Tres manuscripti codices le-  
gunt, alicui assēm & pedrum, vnu[s] planē, alicubi af-  
fīsem, & prādiūm, quod solum purum putum arbit-  
ror. Per assēm enim & prādiūm suas opes signi-  
ficando extenuat, quas maxime in sc̄enore &  
prādiis constitisse apud antiquos certum est. &  
ipse auctor suas in his rebus sitas in oratione ad  
Neronem apud Tacitum refert. Vbi est, inquit,  
animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit &  
per hac suburbana incedit, & tanis agrorum spatiis,  
tam lato sc̄enore exhuberat, &c. nec ampliorem ma-  
nifeste veræ lectionis probationem requiret, qui  
diligentius totum eum locum persitabit. Nos  
reliqua persequamur. An succedat liber De  
breuitate vita, questionis est. mihi ita videtur,  
Pompeio enim Paullino dictus est vectigalium  
publicorum præposito, Pompeia Paullinæ v-  
xoris, quam ante aliquot annos duxerat, pa-  
tri fortasse vel fratri. De ea enim intelligo,  
quod *Amores* *laur* *laur* nostrum Sene-  
cam circa illud tempus Dio retulit. Id autem  
osten-

## VITA L. ANNÆI SENECAE.

ostendunt, quæ ad Paullinum cap. x v 11 i. eius  
bri diriguntur. Tu, inquit, orbis terrarum ratio-  
nes administras tam abstinenter, quam alienas, tam  
diligenter quam tuas, tam religiose quam publicas,  
in officio amorem consequeris, in quo odium vitare dif-  
ficile est. Hæc non nisi de vestigalibus, quæ a-  
prius terrarum orbis rationes vocat, intelligi  
possunt, quorum cum L. Pisone & Ducennio  
Geminio ei cura extra ordinem demandata fue-  
rat. Nam quæ de frumento publico subiicit, ad  
frumentum quod ex decumanis agris vestigalis  
nomine percipibatur, referto. quin etiam tribus  
illis consularibus iniunctam una cum vestigali-  
bus annonæ curat, nihil impedit: immo Tacit-  
tus id dicere videtur, qui narrationi de publico  
frumento vetustate corrupto, frumentariisque  
navibus partim igne fortuito, partim tempe-  
state perditis, quasi iis damnis obuiam itum in  
posterum significare vellet, tres illos consulares  
vestigalibus præpositos subiunxit. Præterea to-  
to eo libro id agit, ut doceat hanc vnam esse vi-  
tae extendendæ rationem, quam omnes brevi-  
simam queruntur, si, ceteris rebus omissis pu-  
blicis priuatisque, quas vel vnas, vel exitiosas,  
etiam quæ tutissimæ videntur, exitus probat, o-  
mnem ætatem sapientia studiis impendamus, no-  
bisque ipsis viuamus. huic uni curæ Paullinum,  
relictis publicis, quibus detinebatur, negotiis,  
incumbere hortatur. Hæc maximè cum ipsius  
Seneca vita conditione, quæ tum fuit cum  
tres illi consules vestigalibus præfecti sunt

## VITA L. ANNÆI SENECAE.

congruunt, nempe aliquot post mensibus, quam suas opes, quibus in inuidiam apud Neronem trahebatur, resignare voluit commeatu non imperato, communatis tamen prioris potentiae institutis, prohibitis salutantium cœtibus. philosophiæ studiis domi, vel proximis urbi locis quādiu Romæ Nero aderat, se continens. Hæc disertè Tacitus: in eoque vitæ instituto perseverasse ad ultimum usque diem non obscurè refert. Quo magis miror, ut id in transitu dicam, quibus rationibus, aut coniecturis duxi eum P. Mario, & L. Afranio consulibus quidam sufficient cum Trebellio Maximo, cum quo licet consul fuerit, non tamē eo anno arbitror. Quod autem in eodem libro habetur, modo cum Caius Cæsar periit, intra paucos septem scilicet vel octo dies, adfuisse ultimum malorum etiam obsecris, alimentorum egestatem, ἐν πλάτῃ accipendum est, cum xxii. anni inter Caij necem & hoc tempus quod in manu est, effluxerint. Sic enim & cap. xxx. & xxxi. lib. 1111. de Beneficiis, de consulatu Cinnæ & Mamerci Scaluri loquitur tanquam de re modo gesta, & tantum non præsenti, quos tamē constat triginta & quadriginta annis ante illorum librorum editionem consules fuisse: & epist. xl ix. iam senex, *Modo*, inquit, apud Sotionem puer sedi, modo causas agere cœpi, &c. Supersunt Epistole. & *Questiones naturales*, ultimi excellentis ingenij scotus, eiusdem cum libro de breuitate vitæ, temporis, vel etiam posterioris. In Epistolis passim rerum humanarum varietatem perpet-

## VITÆ L. ANNÆI SENECAE.

perpetuamque inconstantiam exagitat, hono-  
rum, diuinarum, ceterorumque, quæ vulgo secta-  
munt, dubium euentum, saepe etiam affecuto exi-  
tiolum. Vbiique egestatis, exilio, morti que con-  
temptum inculcat, solidamque eam s. caritatem  
esse, quam quisque in se reponit, docet. quam ta-  
men difficile sit affequi, nisi unius animi ratio ha-  
deatur, cetera ut superflua rescindantur, totusque  
qui eam adipisci nititur, in se contrahatur. Hæc  
scribere erubuissest in summo rerum negotio-  
rumque fastigio, & clarissima imperii Romani  
luce versans, cuius non minus quam Imperato-  
ris moderator erat: non, inquam, adamicum, cui  
interiora quoque nota erant, scripsisset, nisi re i-  
psa præstisset, & exemplo suæ vera esse compro-  
basset. Ab hoc autem præscriptum vitam eum  
suam instituisse, post quam inuidiosas eius diui-  
tias NERO recusauit, supra diximus: quarum etiam  
possessionem specie retinuit, animo tamen depo-  
suit, curamque earum & usum abiecit. Deni-  
que Epistola **xxciii. xxvii. & cxxii.**,  
talem vitam suam describit, nempe solitariam &  
pacissimam, qualem Tacitus hoc tempore e-  
gisse retulit. Nam florentibus & lætis rebus con-  
tentum fuisse uno vehiculo, mulione exalceato,  
mulis macris & stigosis, pane gregario, vel ali-  
quando nullo, caricis pro pulmento, nemo per-  
suadebit, cum sibi tum luxum obiectum ipse fa-  
teatur. Quin etiam si quid expressius & stri-  
ctius de tempore quo illæ Epistolæ scri-  
pseruntur definiendum est, ultimis mensi-

## VITA L. ANNÆ I SENECAE.

bus consulatus Reguli & Rufi, & anno proximè sequente, Lecanio & Licinio consulibus, omnes missas arbitror. Et sanè intra annum vnum edita esse ex eorum lectione manifestum est, temporisq[ue] consecutio, quæ in iis deprehenditur, ostendit. Decima octaua Decembri mense scripta est, xxiiii. initio veris, quod malignum, & inuerso tempestatis ordine frigidum queritur. lxvii. vero ad eiusdem veris finem. Eiusdem autem esse viris peruersi & præposteri probant quæ initio eius Epistolæ leguntur. *Vi à communib[us],* inquit, *initium faciam,* ver aperire se cepit: sed iam inclinatum in astatem, quo tempore calere debebat, intepuit, nec adhuc illifides est. *Sæpe enim in hyemem reuoluitur.* Vis scire quam dubium adhuc sit? nondum me committo frigide, adhuc rigorem eius infringo. Malè in ceteris editionibus, vt obiter hanc maculam eluam, *nondum me committo frigido veri:* & in hac editione, *frigido aeri:* frigidam enim aquam intelligit, qua pro balneo quotidie vtebantur. Testis Plinius lib. xxix. natural. histor. vnde se ipse psychrolutam & frigidæ cultorem non vno loco vocat. Sed ab rem. Epistolam octogesimam septimam Iunio mense in Iulium vergente dedit, cum esset in Scipionis villa in agro Linternino sita, quam tunc temporis Vetulenus Ægianus Libertinus colebat. Centesimam vigesimam tertiam autumni initio, vt inde appareat intra anni nec integri spatium omnes editas. Eum autem esse annum quem diximus, hinc noscere est, quod in Campania,

## VITA L. ANNÆI SENECAE.

nia, nempe Neapoli, Pompeis, Baiis, Cumis, Puteolis, & in Linternino agro omnes à quinquagesima ad octuagesimam septimam datae sunt, in quæ loca Senecam iuisse in comitatu Principis, in quo semper retentus est, intelligo, cùm Nero scenarum publicarum desiderio, in quibus vocem ostentaret, tantam infamiam Romæ ausplicari veritus. Lecanio & Licinio Coss. Neapolim profectus est, vbi suam vocem primum publicam fecit: & hinc Beneuentum, Achaiam cogitans, vnde tamen statim mutato consilio in urbem rediit, & cù eo Seneca. Inde, vel ex proximis urbi villis. Albano nempe, & Nomentano, eeteras post octuagesimam septimam epistolas missas existimo. Præterea epistola nonagesima prima Lugdunensem coloniam fortuito igne exusta deplorat; quod eo anno accidisse credeendum est, cùm proximè sequenti, quo ipse Seneca occisus, Nerone in quadragies sestercio Lugdunensem cladem solatū retulerit Tacitus: nec eiusmodi solatia diu post acceptas clades differri solita ex historiis obseruatum sit. Seneca in eadem illa epistola certissimum eius coloniæ annum fuisse ab origine sua cum exusta est, scribit. Sed nec inter auctores constat quo anno deducta fuerit. Eusebius enim anno vltimo centesimæ decimæ octauæ Olympiadis deducam indicare videtur: nec ita exactè illius coloniæ anno Seneca definire voluit, quinetiam quod excurreret, intelligeretur. Is autem centesimus eius urbis & sextus annus ad Dionis calculum fuit, qui exstructam Hirtio & Pansa consl. prodit. Eiusdem sunt temporis libri naturalium questionū. Firmis-

## VITA L. ANNÆI SENECAE.

sumum argumentum est, quod in præfatione libri  
Sexti, terræ motum, quo Pompeiorum magna pars  
proruit Memmio & Verginio Rufo consl. Nonis  
Februariis, describit, in quo tamen à Tacito dissentit,  
qui præcedet anno narrat. Ceteros, qui huc us-  
que ei adscripti sunt, in nullo numero ponimus, in-  
dignos qui tanto auctori tribuāur. *De contiouersiis*  
& *Suasoriis* non loquor, in quibus patri suus heres  
iure successisse videbatur. *Declamationū* verò libri  
*decem* excerpta esse Contiouersiarum alibi docui-  
mus Epistolas ad Paullum dico, quæ nō magis exi-  
miū nostri auctoris ingenium sapiunt, quam re-  
spoſtiones ad illas Deo plenum à *Deo p̄ se* Paulli  
stylū: ideoque à doctis non magis pro Senecæ ger-  
manis agnoscūr quām responſiones ad Ecclesia  
pro Paullinis. Antiquæ sunt, & an Augustini. Hie-  
ronymique etatem, sed non nostro dēcūlo  
eiusmodi ſuppositiones occuperunt. *De paupertate*  
cento est ex epistolis, quem Iuris onſulti elle re-  
ſpondent eius qui concinnauit. *De remedīis for-*  
*tuitorū* excerptum esse ſupra diximus ex fortuito-  
rum dialogis. *De virtutib⁹* est Martini Braccaren-  
sis Episcopi, qui canones Orientaliū cōciliorum  
in Hispaniā attulit, ſecundæque Braccarensi syno-  
do approbavit sub Theodomiro Gallicia rege, cui  
Myroſuccedit, ad quē ille liber. Et hæc foitasse ni-  
mis multa de libris Senecæ. Nam quæ de stylo eius,  
& dicendi charactere h̄ic addi poſſent, Quintil a-  
nus olim, & nostro ſeculo, Erasmus ad calumniā  
usque excusserunt. Hæc, vi ad intelligentiam ope-  
rum Senecæ fortassis non offiſient, ita magni in lit-  
teris

## VITA L. ANNÆI SENECAE.

teris & diserti viri qui ea recensenda suscepérat. &  
fere adfecerat, desiderium excitabunt: à quo eadem  
ornatiōra, & omni ex parte meliora, nisi morte p̄r-  
uersus fuisset, habituri eramus. Huic nos in p̄ecclaro  
curriculo fati malignitate deficiēti nō ignaros a-  
lioqui quām difficile sit post Roscium in orchestra  
placere, & vanum ἡλις καίουνται λύχνοι ἀπτειν, suc-  
centuriari, & iniuriæ publicæ, quantum in nobis  
fuit, intercedere, cum grauiissimi & santissimi scri-  
ptoris amor, tum amicorum ornatissimo um viro-  
rum, quibus omnia volumus, ac debemus, expostu-  
lationes impulerunt. A libris Senecæ q̄ iōs Mure-  
tus recognouit, manū in hac editione abstinui-  
mus. Quamuis enim in iis quædam deprehenderi-  
mus, quæ acutum properantis iudicium effuge-  
runt, dum variis afflictus morbis, non longè à vitæ  
meta abesse se sentit (hoc enim amicis per litteras  
significat) opūsque premente fato vrget: addere ta-  
men quicquam, vel immutare visum non est, ut sal-  
tem puri puti ex eius recensione extarent, melius-  
que & commodius separato Prætermissorum in L.  
Scnecam opere, quod sub manu est, indicari &  
adnotari posse censiūmus. Quod, si hæc gra-  
tia tibi, optime lector, & accepta perspe-  
xerimus, Deo dante & perficien-  
te, breui impertie-  
mus.

SEN  
ADE  
DE BE  
LIBER